



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Hactenus antiquitas. Aperit se deinceps nova rerum facies. Quod ut meliùs intelligatur, ineunda primùm est velut anacephalæosis quædam eorum quæ dicenda sunt. Post Karoli M. & Nicolai I. tempora ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

rio suæ legationis, putavit vir sanctus omni studio conandum esse uti ea sibi continuarentur à Stephano Papa.

X. Cessisse Bonifacium monitis Papæ Stephani & à nomine Legati abstinuisse donec eam dignitatem rursus accepit à Stephano colligitur ex titulo istius epistolæ. Nam cum in plurimis epistolis consuevisset se vocare Legatum Germanicum sedis apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ, etiam ad Zachariam scribens, heic abstinet ab illo nomine, discipulum tantum se dicens Ecclesiæ Romanæ. *Domino excellentissimo*, inquit, & *pre ceteris Pontificibus preferendo & amando*, & *apostolatus privilegio prædito*, Stephano Papæ, *Bonifacius exiguus Episcopus, discipulus Romana Ecclesiæ, optabilem in Christo caritatis salutem*. At postea quam mitigatus Stephanus imperium ei continuavit, tum verò ad eum scribens Legatum se rursus Germanicum nuncupavit. *Venerando ac diligendo Domino*, inquit, *apostolatus privilegio prædito*, Stephano Papæ, *Bonifacius exiguus Legatus vel Missus Germanicus catholice & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo caritatis salutem*. Fuit ergo Romanæ Ecclesiæ Legatus etiam sub Stephano secundo, id est, usque ad finem vitæ. Nam non ita multò post occisus est à paganis, cum verbum Dei prædicaret in Frisia.

*legatio sedis apostolicæ cuiusdam tribuebatur cum iurisdictione.*

VII. Drogo Episcopus Metensis, olim sacri Palatii Archicapellanus sub Ludovico Pio, vicariatum apostolicæ sedis per Gallias obtinet à Sergio secundo. Explicantur capita auctoritatis illi concessæ.

VIII. Passus est contradictionem ab Episcopis Gallicanis, & conatus eius frustra fuit.

IX. Venerunt postea legationes sedis apostolicæ in consuetudinem. Legati Nicolai I. pecunia corrupti, immensis ditati opibus Romam regressi sunt.

X. Arsenius Hortensis Episcopus in Galliam mittitur cum amplissima potestate. Hunc Adventinus Episcopus Metensis laudat quòd manus suas excussit ab omni munere.

XI. Auctoritatem annalium Fuldensium docet illum magnificis muneribus honoratum fuisse à Ludovico Rege Germania & à Karolo Calvo fratre eius. Quòd evertere videtur testimonium Adventij. Nisi si discrimen constituatur inter munera Principum & privatorum hominum.

I. **H**ACTENUS antiquitas. Nunc se nobis nova rerum facies offeret, cum post explicatam & assertam in animis gentium ac nationum Romani nominis potestatem, cuncta per Legatos acitata sunt, qui pro suæ voluntatis arbitrio & ædificabant & destruebant quæ vel ædificanda vel destruenda esse videbantur. Sed antè quàm immensum illum vastumque ultimorum temporum campum ingrediamur, operæ pretium est inire in antecessum velut anacephalæosin quandam eorum quæ nobis incumbunt dicenda, quibus imbuti lectorum animi, paratiores ad hanc materiam descendant, & hac facillima methodo velut manu ducantur ad cognitionem rerum haudquam contemnendarum. Primum ergo adnotandum est, tamenetsi magna olim fuerit Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, non adeo tamen effusam fuisse ac liberam ut fuit post Karoli Magni tempora, cum ad Nicolaum primum ventum est.

II. Deinde sciendum, Legatorum in provincias adventum ne minimo quidem sumptui olim fuisse provincialibus, ultimis verò temporibus latam esse legem, qua cautum est uti Legatis suppeditarentur sumptus, non solum necessarii, sed etiam liberales, ab iis ad quos mittebantur. Ea pensitatio, quæ procuratio dicebatur, modica in initio fuit, deinde ita vitio humanæ mentis excrevit, ut & provinciæ exhaurirentur, & sumptus effunderentur cum probro atque dedecore, ob factum & pompam Legatorum. Quin & interdum Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, occasionemque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant, sicque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat ut qui pau-

CAPVT XLIV.

Synopsis.

I. Hactenus antiquitas. Aperit se deinceps nova rerum facies. Quòd ut melius intelligatur, inienda primum est velut anacephalæosin quedam eorum quæ dicenda sunt. Post Karoli M. & Nicolai I. tempora major fuit Legatorum auctoritas quàm vetustis temporibus.

II. Olim Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem sumptui erat provincialibus. Procurationes deinde Legatorum introductæ sunt, quarum occasione Legati ad summas opes pervenirent. Tandem prorsus abolitæ sunt.

III. Fuere tamen nonnulli Legati qui castè provincias administrarunt. Sed ij pauci numero fuere.

IV. Inuit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum, quæ maxima erat. Ista quidem feliciter ut plurimum cessare. Fuere tamen ea temporum vicissitudines ut interdum Romani Pontifices permississent quòd nimis amplam potestatem tribuissent Legatis.

V. Inde paulatim abolitus usus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum & Episcoporum. Melius enim ac consultius visum est abstinere à mittendis Legatis quàm eos exponere tot procellis ac tempestatibus.

VI. Nullus post Bonifacij obitum Legatus fuit in Gallia & Germania usque ad Karoli Calvi tempora. Probatur ex Hincmaro, qui putabas Metropolitanorum ac reliquorum Episcoporum iura convelli cum